

SECVLUM
XI.
Professio in-
fantum.

LIX. Usum porro in regula S. Benedicti assertum, offerendi etiam in monasteriis infantes ad professionem religiosam, multis auctoritatibus propugnat B. Petrus Damiani opusculo XVI. cap. 5. Quod vero mox sequente cap. 6. in consecrandis virginibus ætatis annum vigesimum quintum requirit, de solemniori illo ecclesiæ veteris velandi virgines ritu accipi potest. B. Udalricus in epistola suis consuetudinum Cluniacensium libris præmissa, ad spiritualem militiam facere censet, *ubi maior est numerus & auctoritas maior illorum, qui non aetate lasciva, nec imperio parentum, sed sponte sua, & maioris ætatis, solo Christo imperante ad eius obsequium, rebus seculi abdicatis, se contulerunt.* Scripserat id nimirum in laudem B. Wilhelmi, qui ad vigesimum annum revocavit ætatem professionis, probante etiam Urbano II. in bulla paullo ante ex Trithemio & Befoldo laudata.

Monachi ad
succurren-
dum.

LX. In citato mox opusculo id, quod modo de professione infantum retulimus, incidenter tantum agit B. Petrus Damiani; ex instituto enim ibidem declamat in Gislerium Auximanum episcopum, qui asserere ausus fuerat, a monacho religionis habitum semel susceptum ob ægritudinem posse dimitti: quod quidem licitum esse cap. 1. pernegat, perinde ac cap. 2. sequente prohibitum esse ostendit, ut qui in extremo morbo professus monasticum habitum recepit, eundem postea deferat atque ad seculum redeat; idque contra eundem Gislerium, qui tamen interpellato desuper Romano pontifice iussus est retractare sententiam.

Vetus Disc.
monast. p. 444.

Vocati sunt eius generis in extremo articulo professi *monachi ad succurrendum*, ex usu tunc ac proximis etiam seculis haud infrequenti, de quo S. Udalricus Lib. II. Consuetud. Cluniac. c. 28. *Si quis, ait, infirmus, & ut aiunt, ad succurrendum benedictionem acceperit, & pro infirmitate silentium (per triduum pro more) tenere non potuit, cum aliis, qui benedicuntur, capita contegentibus ipse quoque contegit, & omnia, quæ illi faciunt, eo triduo similiter facit, ut, quod prius omisum erat, suppleatur.* Eadem leguntur in constitutionibus Hirfaugiensibus cap. 75. apud P. Herrgott, & mox sequitur caput *de seculari, qui ad extrema veniens monasticari se petierit.* Multa huius argumenti exempla profert anonymus San-Blasianus in suis constructionum nostri monasterii libris, nobilium imprimis personarum; ex quibus, ut unum hunc referam, Bernardus de Warnbach per filium huc delatus, statim *ut de equis, qui illum portabant, depositus est, professus obedientiam, Domini-que corpore suscepto in eadem die eodemque momento de huius vitæ liberatus est angustiis.*

LXI.